



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Simeon Conf. 26. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

466 VITÆ SANCTORUM. 26. Iulii.
gnantem obnubit, jamque urbe attonitâ,
jam parentibus etiam gaudentibus, GLO-
DES INDIIS in thalamum suum (Virginum
Collogium) abducitur. Ex Surio.

*Cura habere lilia penes te, seruis habere
Deum habitatorem liliorum habitantem in
te. Opus tuum, studium tuum, desiderium
tuum lilia esse protestantur moralis quidam
rerum ipsarum candor atque odor. S. Bern.
serm. 71. in Cant.*

S. SIMEON CONE. 26. Iulii.

Mundum omnem suis beneficiis o-
bambulare voluisse SIMEON vide-
tur, etiam postquam exiit è mundo, &
vel inter Monachos vel Eremicolas vixit.
Inter hos agenti cum fames ultima mi-
naretur, cervus Divo sponte suâ victi-
mam se stitit. Hierosolymæ hospes cum
degeret, malos hospites dæmones sep-
tem sibi fecit cedere. Romæ hereseos
accusatus, accusatorem, quem malus
genius corripuerat, precibus suis reus
absolvit. Plura aliâ mira cum celebrem
illic facerent, honores fugâ elusit. Fu-
gientem cum Monachi ex itinere verberibus
malè accepissent, conjectique eam
ob rem in vincula ab Episcopo fuissent,
SIMEON noctu hostes suos è carcere exe-
mit; & gloriolam iterum fugiendo vicit.
Pisâs cum ingrederetur, obvium è
Styge nuntium habuit illud rogantem:
Quo

27. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 467

Quo tendis Monache? SIMEON hoc tantum respondit: *Quò me Christus duxerit.* & ecce molestus rogator viam suam ilicò in orcum relegit. Hinc Lucam venit. Ibi cum Iudæorum Antesignanum bellum Virginitati *Deipara* moventem morte subitâ sterneret, reliqui manus dederunt. Placentiæ noctu oraturum suoapte motu apertum templum recepit. Padum pedes trajecit tam citò ut velis & remis usum crederes. Iamque quocunque iret, è viâ morbi cedebant. Sed nos sistimus calamum fessum. Tu quoque Lectòr, ne orbem nobiscum perambulare cogaris, similia illum in Galliis & Hispaniis factitasse puta. *Ex Ferrar.*

Ut evadas hominem Dominum, quicumque servus es, sagis in ea loca, ubi non est Dominus tuus: ut evadas Deum, fuge ad Deum: nam non est, quò effugias Deum, præsto sunt omnia & nuda Omnipotentis oculis. S. Aug. in Psal. 30.

S. PANTALEON M. 27. Iulii.

PANTALEON sive PANTELEFMON (namque hoc illi nomen morituro cælum fecit) adolescens medicinæ operam dedit. Sed compendium illi ad hanc artem rectius Herimolaus in Christi scholâ ostendit, quando in hujus nomine latere panaceam edocuit. Experimentum à puero sumptum, quem vipera

Gg 2

mor-